PS. EUSEBIUS CREMONENSIS. PS. AUGUSTINUS. PS. CYRILLUS HIEROSOLYMITANUS. ISIDORUS HISPALENSIS

Salzburg, 1470 Seite 44r

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8135
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

Mens mea non sprevit in testamento le-
gis tue. Non averti oculos meos. ut
non aliquam viderint vanitatem. Aures
meas quoque verbis inutilibus accommoda-
vi. Manus meas ad proximi necessi-
tatem multociens non extendi. Pedi-
bus ad iniquitatem cucurri. Quid plura
dicam. A planta pedis usque ad verticem
non est in me sanitas. Certe nisi in ligno
crucis mortem meam devicisses digna
erat habitare in inferno anima mea. Ego pie
Iesu sum pars tanti precii. Pro me fudisti
sanguinem tuum preciosum. Non me refu-
tes. Ego sum ovis que erravi. Require
eam bone pastor et appone eam ovili
tuo. ut iustificeris in sermonibus tuis
Nam promisisti mihi quod quacumque hora peccator
ingemuerit salvus erit. Dolens tristis
sum iniquitates ego cognosco meas.
et delicta mea coram me est. Vere non
sum dignus vocari filius tuus qui peccavi
in celum et coram te. Auditui meo da
gaudium et leticiam. Averte faciem tuam
a peccatis meis. Dele iniquitates me-
as secundum magnam misericordiam tuam. Ne proiicias
me a facie tua. Non secundum peccata mea fa-
cias mihi. neque secundum iniquitates meas
retribue mihi. Sed adiuva me deus salutaris